



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

11. Dies Aprilis. Qui volentes injustè utuntur bonis; justè volentes
cruciabuntur malis. Sanctus Augustinns epist. 120. cap. 23.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

II. DIES APRILIS.

Qui volentes injustè utuntur bonis; ju-
stè volentes cruciabuntur malis. San-
ctus Augustinus epist. 120. cap. 23.

Inju-
stitia:

SI Aristoteli fides, hic prodit in sce-
nam; non unum aliquod vitium, sed
tota simul vitiorum universitas. Sic
enim ipse: (a) *Injustitia universa Ju-
stitia opposita, non pars vitii est, sed universum vitium.*
Hoc vitium subsequitur Imprudentiae vitiis; quod
ad alia latissime se diffundit, & præ omnibus per o-
mnia dominatur. Quis, sit licet eximiè præcellens,
ab hujus labe est eximus? Hic, pecuniarum inhiat
prædis: alter, proximo dolos texit; aliis lites con-
suit, jus deprædans; aliis, ex perjurio opes corrogat;
aliis, invidiæ telis proximum impedit: aliis, intulisse
injuriam, interpretatur gloriam; & potuisse nocere,
reputat potentiam. Plerique se justos arbitrantur;
dum scitè, & callidè norunt excusare suam Injusti-
tiæ. Sæpiùs, inquiunt, hæc alias, & ab aliis factum:
sed non quia non prius peccatum est, propterea pec-
cata vetera cumulanda sunt novis. At contra, nunc
cæteris imponenda est necessitas ita faciendi talia,
sicut lex jubet, à te sumpto initio. Tu igitur, ne di-
cas, hoc sæpè esse factum; sed illud decuisse ita fie-
ri. Neque enim, si quid aliter, quam leges jubent,
factum est, idque tu imitatus es; ideo jure absolve-
ris, sed potius ex jure condemnaberis.

S

II. Tan-

(a) *Ethic. l. 5. c. 1.*

II. Tanta est atrocitas Injustitiae, ut injuria affl. i præster, quām afficere: alterum enim est improbi; alterum infirmi. Et cūm turpē sit utrumque, tantō tamen inferre injuriam est pejus, quantō turpius. Deinde illud proprium malum est, hoc alienum. Hoc tamen quid usitatius? Forum ingredere, illuc videbis, quām tetrascelerum ex Injustitia enatorum tibi proponetur facies, quām fœda vitiorum colluvies. Illuc inter ipsas leges, quæ vetant peccata, peccatur: inter jura, quæ prohibent delicta, delinquitur. Innocentia, nec illuc, ubi defenditur, reservatur. Lites inseruntur litibus, mugit forum altetcantium vociferationibus: nec usquam minus viret Oliva pacis, quām inter togatos. Judicum tribunalia, sunt quasi maleficiorum latibula. Quis in hujusmodi tribunali bus subveniet innocentibus, Advocatus? sed is advocat omnes strophas, congregat omnem vafritiem, ut circumveniat. Judex; in quo, si quæ sit Justitia, est venalis? Qui deberet scelera punire, committit punienda. Ardet ubique iniquitas, & habens laxat Injustitia. Hic testamentum subjicit; ille falsum capitali fraude conscribit: hic arcentur hæreditibus liberi; illuc bona donantur alienis.

III. Quām verè Anacharvis, Forum ad fallen-dum invicem, atque ad dandas Avaritiæ manus, destinatum locum esse dicebat. Plutarchus vocat *Impuram regionem*, quæ Veterorum hominum fraude, & malitiâ redundat. Tribacissima sunt forensium ingenia, & multis iam erudita sæculis ad excogitandas machinationes, quibus legum, & judiciorum religio polluatur, ut aliquando forum à publicatione atrocino parum distet. Nam de Judicibus, multi

Apilis.

Tessera.

275

non tam ad libram Justitiae, quam ad plenam auri-
ficiis stateram, sententias suas expendunt, & Advocati
nihil nisi aureum loqui volunt, aut cum Simoni-
de argenteum. Appositiè sane Isidorus Pelusiota: (a)
*In judicis, quo, inquit, vergit aurum, illuc propendet iu-
dicium.* Vetus id malum est, & per omnes propè æ-
tates omnium sacerdorum fusum, & propagatum.
Quod deplorat D. Augustinus in hæc verba (b)
*Usque adeò inolevit malum; ut quasi ex consuetudine
vendantur leges, corrumpantur jura, sententia ipsa ve-
nalis sit, & nulla jam causa possit esse sine causa.* Vix in
foro tam vili pretio veneunt quæcunque merces,
quam leges: immo vix luctuosa sus, quam sacrum
Jus. Sic quod olim fuit fabula, hac ætate est histo-
ria: (c) *Terras Astræas reliquit.* Hinc & tam pauci è
terræ petunt astra. Nemo non jam satagit nocere In-
nocentiae; quia vix ullus est, qui sit, non dico, servans,
sed amans Justitiae. Est igitur hæc mea fixa sententia,
metro brevi, sed nervoso circumscripta:

Multis major equicura est, quam juris & equi,

12. DIES APRILIS.

Illata cuilibet injuria, non accipientis,
sed inferentis est miseria. Boetius libr.
4. de consol. prof. 4.

S 2

I. Nul-

(a) *t. I. ep. 101.* (b) *Serm. 19. de verb. Dom.* (c)
Ovid. t. I. Metam.